

rursus febris si sit valida, anhelitusque difficultas maxima. Prout itaque accidentia intensa sunt vel remissa, secundum hoc magnitudinem periculumque pleuritidis prognosticare licet. Occidit autem suffocatione, aut nimio dolore, aliisve huiusmodi symptomatibus magnis, aut denique translatione materiei in pulmones, vnde ulcera atque tabes.

*Methodus pro curatione*

PLEVRITIDIS INSER-  
VIENS.

*Perficitur autem subsequentibus remediorum generibus.*

VICTVS RATIONE.

**A** Er sit temperatus; modicè interim ad calidum declinet.

Cibus sit leuis atque tenuis, vt iuscula gallinarum, cremor ptisanæ, cremor amygdalorum. Parum autem in morbi principio alendum erit, postea verò plenius offeretur alimentum.

Conueniunt vix passæ, amygdala, mala dulcia. Inter olera, malua, intubus.

Potus: pufana, decoctum cinnamomi, glycyrrhizæ, florum violarum. Vinum nõ admittatur antequam morbus nonnihil fuerit remissus.

Quies corporis imperanda.

Somnus protrahatur solito diutius.

Excrementa alui mouenda indies.

AVERTENTIBVS.

Venæ cubiti sectio fiet etiam media nocte, ita occasione dictante; perniciem enim minatur tum febris acuta, tum respiratio impedita, tum dolor acerbissimus. Secabimus autem vbi nonnihil mitius se habebit  
basilicam